



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 8. Amor Christi libenter nobiscum manet. Ex Veteri. Novo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

pulis se condonans; & eos salutat salutatione, quâ eos alios docuerat salutare. *In quacunque domo &c.* Luc. 10. 5. quod docuit, fecit ipse, qui fuerat resurgens a mortuis. Incertò authore.

Veni JESUS, & steteris in medio Joan. 20. 19. Proprius locus JESU medium est; scilicet in cœlo, in utero Virginis, in pecoris præsepio, in crucis patibulo. In cœlo; unde Apoc. 7. 17.

Agnus, qui est in medio throni, id est, in sinu Patris; in utero Virginis Jf. 12. 6. *quia magnus in medio tui sanctus Israel.* Anton. de Pad. Dom. 1. Pasch.

In similitudinem hominum factus Philipp. 2. 7. *hominum* dicit, non hominis: quia nullius singularis hominis formam in se suscepit, sed omnibus se coarquivit. S. Bern. ferm. de Pass. Dom. Christus in universali hominum miseria pressus, & profundius se immerfit: idèò *habitu*, & omni habitu, *inventus est, ut homo*: nec in eo, quantum ad naturam debitum, signum aliquod singularitatis apparuit. Sylv. in Luc. 4. q. 7.

In medio candelabrorum aureorum. Apoc. 1. 13. Christus tam in veteri, quam novo testamento medium tenet. Jf. 12. 6. *magnus in medio tui sanctus Israel.* Joan. 1. 26. *medius vestrum stetit.*

In medio candelabrorum, id est Ecclesiarum: ut ostendat, se omnibus esse communem, & à nemine recedere longius, ad neminem accedere propius; sed omnibus æqualiter adesse, & prodesse. Galfrid. Alb. tr. 34. non dissimulemus, vel exculemus; in medio est, omnibus sese offerens, omnes, vocans. Quòd si ille in medio est; quid tu miser angulum quæris, diverticula captas? omnibus sese Christus exhibet, medium omnibus offert auxilium, & exemplum. Sylv. hic. q. 41.

§. VIII.

Libenter nobiscum manet.

Ex Veteri.

Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti Ex. 32. 32. Quid voluit Moyses, cum se deleri de libro Dei voluit? Rupertus ait, tantundem fuisse, ac si, consuetudini illius renuntiare, ac nolle illò deinceps familiariter se uti, dixisset. Dulcis quadam comminatio fuit, & amica simulatio, nata ab experientia; quâ Moyses dixerat, quantum Deus oblectetur consuetudine hominum. Rupertus ait: videre sibi videtur, Majestatem cœlis omnibus, ac terris tremendam, de folio suo surgere, & accedere vulneratò corde; rogare amicum quasi discedentem, nè deserat se; dicentemque: *ego ostendam tibi omne bonum.* Did. Niff. die Jovis Sancto §. 6. Id. in illud: *cum dilexisset suos.* Tanti aestimet Deus hominem, ut velut oblitus angelorum, totas suas delicias in *amnis* hominis consuetudine positas habeat.

Delicia mea esse cum filiis hominum.

Prov. 8. 31. S. Laur. Just. ferm. de Euch. exhibuit se, ut tuæ peregrinationis sit comes, ignorantie tuæ lux, infirmitatis tuæ remedium; tecum habitet, de te latetur, suis tecum deliciis perfruatur; quemadmodum testatur: *delicia mea &c.* Non quidem ut suas à filiis hominum caperet delicias; sed ut cum filiis hominum communicet proprias. Aloyf. Novar. Agn. Euch.

Judica mihi ubi pascas, ubi cubes, in meridie. Cant. 1. 6. Cui sponsus: *si ignoras te, o pulcherrima mulierum, egredere,* & abi. v. 7. q. d. ait Justus Orgelit. Ne oberes, me extra te quarendo, ullò modò: in te quippe, ubi haclenus non quarebar, tanquam in meridie, requiesco. q. d. Fierine potest, ut hoc ignores, & quæras, ubi ego quiescam? Te ipsam certò ignoras, quæ nescis, quòd in te conquisco: cui omnis est in te unâ, ac solâ quies, omne solatium, & oblectamentum. Idcirco noli deinceps quærere, ubi cubem; in te enim requiesco. Did. Niff. die Jovis S.

Ostende mihi faciem tuam Cant. 2. 14. Quid exis à dilecta ò dilecte? nunquid non sapius decoram faciem ejus vidisti? cum dixisti ei: *pulchra es amica mea* Cant. 1. 14. *pulchra sunt gēra tua.* v. 9. Nunquid non vocem ejus audisti? quæ crebro tibi locuta est; cum dixit: *osuletur me osculo oris sui* Cant. 1. 1. *trabe me post te* v. 3. pulcher es dilecte. Cur ergo rursus petis: *ostende &c.* sed ardentem se amantium hoc est, ut nunquam mutuo aspectu, & colloquio satientur; sed semper se amplius conspicerent, & alloqui, concupiscant. Lud. de Ponte hic Exh. 26.

Quam pulchra es amica mea! Cant. 4. 1. & mox subdit: *veni de Libano, sponsa mea, veni.* v. 8. Cum eam vocat pulchram; utique cum presente loquitur. Cur ergo, tanquam ad absentem, dicit: *veni!* S. Bern. f. 29. in Can. vehementis affectus argumentum est, quòd tertio vocat. Vocat eam non quòd abeset; sed quia aliquantulum distabat: præ amore propinquiorem sibi cupit; etiam parvam distantiam non ferens. Sylv. in Joan. c. 20. q. 6.

Vocabitur nomen ejus Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus; butyrum, & mel comedet. Jf. 7. 14. 15. Id est, plurimum se oblectabit. q. d. Quando, verbum caro factum, cum hominibus conversabitur; tunc suas voluptates ex eorum consuetudine habebit; tanquam si butyrum vel mel comederet: de quo tamen scimus, ad quantos dolores sit natum, & destinatum. Did. Niff. Sabb. post Cin. §. 4.

Ex Novo.

Simile est regnum cœlorum homini Patrifamilias Matth. 28. 1. Dicitur *Deus homo* propter amorem, quò homines diligit: & quia hominum est conditor. Insensibilibus creaturis omnia simul Deus in principio dedit; solitorum splendorem; lunæ, stellis, ac cœlo, omnem.

nem, quam habent, influentiam. Homini vero noluit cuncta beneficia facere; quæ ei divinum collaturus erat: ut ea homo frequenter peteret. In quo manifestatur peculiaris voluptas, quæ Deus, (si ita dici fas est) efficitur cum hominibus conversari: & quantum gaudent, ut crebrò se divinis ejus oculis offerant. Philippus Diez 2. parte Quadrag. Dom. in Septuag.

Ecce Ego vobiscum sum. Matth. 28. 20. Sic est Christus cum Ecclesia 1. per gratiam inhabitando corda fidelium 2. Per Sacramentorum præsentiam 3. Per continuum providentiam, protectionem, atque multiplicem efficientiam suæ potestatis ac pietatis in nos. Dion. Carth. hic. *Ecce ego vobiscum*: scilicet in Sacramento altaris. S. Vinc. Ferr. ferm. in Ascens.

Isse solus erat in terra. Marci 6. 47. Bonus JESUS tam ardentè amat hominem; ut licet suâ majestâte, & magnitudine, sit comitatissimus; solus tamen sibi agere videatur, quando extra societatem hominum degit. Quomodo solus erat, quem sua semper magnitudo circumstat, quem angeli tantò numero stipant? Vide, quàm tenere homines amet, qui solus sibi degere videtur, cum absque hominum confortio agit. Did. Niff. Sabb. post. Ciner. §. 4.

Ei venit Nazareth, ubi erat nutritus. Luc. 4. 16. Et Marci 6. 1. dicitur: *Abiit in patriam suam.* Christus, ut testatur Jo. 3. 31. Qui de cælo venit super omnes est. Ergo patria ejus cælum est. Quomodo ergo terrenam urbem dicit patriam suam? ad eò amat cohabitacionem hominum Christus, ut suam patriam dicat. Sylv. Addit. in Marc. Luc. hic.

Exi à me, quia homo peccator sum. Luc. 5. 8. Si Deum procul à te cupis, quia peccator es; cur illum rogas, ut exeat à te? & non magis tu ab illo fugis? tu abcede, non recedat ille. Nimirum tam solers est peccatoris venator Christus; ut frustra illum sit declinatorus, quisque infrequentem habebit à tergo monentem misericordiam. Videt Petrus, tam cupidum salutis nostræ. Dominum evitari non posse, nisi fortè fatigatus ipse recedat. Samaritana id testatur & Iatro, illa in contumeliis Magistrum experta, hic inter blasphemias ractus Salvatore. Oliv. Strom. l. 13. hic.

Dimittit nonaginta novem in deserto. Luc. 15. 4. Dominus cælum vocat desertum: quia ibi, quod maximè diligebat scilicet homo, non erat. Cum quis alium valde diligit, licet cum aliis quamplurimis, eò absente, sit, in solitudine se esse reputat. Ecce Deus locum, in quo homo non est, solitudinem vocat; cum tot angelorum millia cum eo sunt. Philipp. Diez. Dom. 3. Pent. Conc. 2.

Beda: dimisit nonaginta oves in deserto, quia illos fumos angelorum choros reliquit in cælo. Cur autem cælum desertum vocat? nisi quòd desertum dicitur derelictum. Tunc autem cælum homo deseruit, cum peccavit. Ità errantis ovis amore vulneratur, ità illam desiderat; ut tota illa cœlestis curia innumeris angelis plena; ut tamen oviculâ, id

est, humanâ naturâ deficiente, velut vacua, & deserta illi appareat. Sylv. in Luc. 15. q. 7.

Hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23. 43. Quomodo Christus promissum latroni paradysum dedit conditò tempore? *hodie &c.* cum eum non obtinuerit, nisi elapsis 40. diebus. Illò *hodie* perrexit Christus ad limbum. S. Anastasius Sinaita q. 73. de bono latrone: ille primus, voluptatum locus paradysus vocatus est, quia *Dei delicia sunt esse cum filius hominum*: ubicumque cum illis sit, secum habebit paradysum. Unde ideo paradysi nomine limbum mihi appellasse videtur: quia ibi cum hominibus erat. Paoletti in festo Nat. Dom.

Nisi granum frumenti cadens in terram moriuum fuerit, ipsum solum manet. Joan. 12. 24. Quomodo tibi hoc aptari potest, Domine? licet enim verum sit *nisi granum &c.* tu tamen, quamvis non moreris, nonne satis, superque, comitatus es in cœlis? nunquid tibi angeli, archangeli, Cherubim, & Seraphim, omnes denique Hierarchiæ assistunt? Quomodo igitur solus maneres; tam illustri beatorum spirituum coronâ comitatus, istam appellas solitudinem? ô immensam charitatem in hoc magnopere resplendentem! quod locum, cui homo deest, solitudinem vocat. &c. Philipp. Diez. in Com. unius Martyr. c. 1.

Venit hora, cum jam non in proverbis loquar vobis. Joan. 16. 25. Per hanc horam intellige tempus illud, quò Christus cum Discipulis 40. diebus versatus est. Act. 1. 3. horam appellat 40. dies, ex desiderio, & amore cum hominibus manendi. Barradius d. 5. Pasch. t. 4. l. 5. c. 12.

Convescens præcepit eis. Act. 14. Christus Dominum per 40. dies, & noctes, abstinentia separavit ab hominum confortio Matth. 4. 2. totidem dies post resurrectionem cum iis conversatur, & manducat. Sylv. hic.

Deinde finis. 1. Cor. 15. 24. Paulus, cum successus Ecclesiæ memoraret, ait, laboris illius gloriosò sine desituros; *deinde finis.* v. 24. Et quid post hæc fiet? ut Deus regnet, scilicet *cum tradiderit regnum Deo & Patri.* ib. Petr. Dam. opusc. 15. c. 6. tradere regnum Deo Patri nihil aliud est, juxta sobrium intellectum, nisi perducere Credentes ad contemplandam speciem Dei Patris. Mirum dictu! ut regnare Deus Pater tunc feratur; cum homines sanctos penes se habet, quibus imperet. Nimirum homines tantoperè amat, eorumque societate ad eò oblectatur; ut tùm demum regnare sibi videatur, cum illos præsentem habet; & velut solus agat, licet inter medios angelos, quando sine hominibus agit. Did. Niff. Sabb. post Cin. §. 4.

Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cælos, ut impletes omnia. Ephel. 4. 10. Quomodo dici possunt impleri cœli per hoc, quòd homines iis fuerint in vecti ut ibi habitarent. Id eum sensum habere videtur: quasi, ante hominis in cœlos elevationem, deserti fuerint cœli, & majestas,

itas, quæ illos habitabat, solitaria; ut necesse fuerit, eò adduci homines, qui omnem inanimatam explerent. Nonne magnâ copîâ & penè absque numero, habebat angelos? Desertum illi cœlum videtur, nisi hospitem habeat hominem. Id. ib.

Cœnabo cum eo. Apoc. 3. 20. Joachimus Abb. Benè se in hoc loco cœnare potius, quàm prandere promittit, quia solet sponfus post prandium ab uxore discedere, & ad opus exire; post cœnam verò vix unquam, sed pariter conqueſcunt. Post prandium datur ab invicem disunctio in tota familia, vir ab uxore discedit, filii à parentibus, famuli à domino, ut quisque ad munus suum pergat, post cœnam verò omnes in eadem domo remanent. Ideo dicit cœnam: quia ab illo, ad quem ingreditur quantum est ex se, nunquam vult discedere, sed semper cum eo manere. Sylveira. hic. q. 55.

§. IX.

Invitus à nobis separatur.

Ex Veteri.

Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso. Gen. 3. 8. Hugo à S. Victore hic Non ambulavit, sed deambulavit huc atque illuc, quasi errabundus, & vagus. Deambulabat, & non discedebat: neque abiit in desertum elongans, quasi irrevocabilis, non reversurus amplius. Abiit, & non abiit; modo vadens, & modo rediens: quasi nolens suam sedem deserere; nec valens pollutam mansionem sustinere. Quid facis Adam? quare files? voca discedentem, sequere fugientem: quoniam adhuc propè est, & expectat; si forte revocetur: & ideo moram facit, & blandè minatur abcessum; læsum se dolens, & violenter ejectum: & redire volens, si forte invitetur, ut veniat. Andr. Ramirez in ep. Christi ad 7. Ep. Asia.

Dimitte me - non dimittam te. Gen. 32. 26. Rupertus l. 8. in Gen. c. 6. Jacob cum Deo luctatur, & victor benedictionem extorquet quasi invito, ac nolenti, & dicenti, *dimitte me*; quia scilicet sic futurum erat, ut comminaretur Deus, sese à femine ejus recedere propter peccata ejusdem gentis rebellis, & incredula. Hinc fugam meditantem stringit manibus, brachiis ligat, devincit lacrymarum vinctulis: Luc. de Arcones in JI. Dis. 4.

Viderunt ingressus tuos Deus. Psalm. 67. 25. Ingressus viderunt, non egressus: quia non migrat ab homine dante ingressum, nisi excludatur. Did. Niff. D. 4. post Pascha §. 2.

Tenuit eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ. Cant. 3. 4. Gillibertus hic: *in cubiculum genitricis*, in illam cœlestem Jerusalem, qua Mater est omnium nostram Gal. 4. 26.

Sed nunquid jam ascendit ad Patrem? nunquid jam præcessor introivit pro nobis? quomodo tu introduces? quò ipse prior ascendit? tu R. P. Spanner Poly. Tom. I.

màgis indiges ut ipse te ducat, cui dicitur. Pl. 118. 35.

Surge dilecte mi, & assimilare caprea. Cant. 5. 14. Alii legunt, *assimilabere*. Philippus Diez l. 3. de Ascens. Dom. caprea fugiens faciem retrò vertit. Amantium hoc proprium est: quibus, ut amara accidit discessio; cum aliud non possint crebris oculis repetunt domum, in qua dimidium sui reliquum manet. Did. Niff. D. 4. post Pascha §. 2.

Facta est quasi vidua. Thr. 1. 1. S. Paschasius l. 1. in Thr. quasi vidua, & non verè vidua: quoniam, etià à sponso despicitur, sponsalitates ejus tamen jura manent; ut, si redierit, prioraque dilectionis opera impleverit, sponsum saltem per pœnitentiam respiciat. Bæza l. 4. c. 1. §. 12.

Ex Novo.

Homo peregrè proficiscens. Matth. 25. 14. Author Imperf. hom. 53. ad regna cœlestia ascensurus, & ad Patrem suum iturus, unde descenderat; peregrè seiturum dicit: propter charitatem Sanctorum, quos relinquebat in Mundo. Hic homo est Christus, nos servi: peregrinationem vocat gloriosam in cœlos ascensionem: quia tunc ab hominibus recedebat, ob quorum emolumentum in Mundum venerat; inque eo 33. annis cum filiis hominum delicias fuit. O tenerimum amorem! cum se peregrè proficisci dicat: quia ad cœlum conscendens, homines in Mundo dereliquit. Ille peregrinus dicitur, quia in cœlis à nobis abest: nosque peregrini dicendi; quia sine corporali ipsius præsentia in terra moramur. Hunc Mundum patriam suam appellat: quia nos in illa moramur; cœlumque nos oportet patriam nostram appellare: quia ipse illic habitat. Propter nos se peregrinum appellat: quia nos secum in cœlo non habebat. Philipp. Diez. Conc. 2. in Comm. Confess. Ob id dicitur Christus ascendendo in cœlum *peregrè proficiscens*: quia domesticos suos in Mundo reliquit; eisque corporalem subtraxit præsentiam. Dion. Carthus. hic.

Pater! si possibile est, transeat à me calix iste. Matth. 26. 39. Cur mortem, aliàs concupitam, nunc deprecatur? Unum in morte ejus invenio, quod ei difficile visum: licet enim morti conjuncta erat resurrectio, erat tamen conjuncta etiam ascensio, in qua à suis erat separandus. Hinc mortem deprecatur; & si fieri possit, aliquantum differatur: ut apud nos diutius permaneat. Sylveira. in Joan. 13. q. 21.

Assumptus est in cœlum Marci 16. 19. Luc. 24. 51. ferebatur in cœlum. Act. 1. 9. elevatus est. Non subito ferebatur, ut Elias, & Enoch, sed sensim, ut explicant Interpretes. Cum Christus venit in Mundum, dicitur de eo Cant. 2. 8. *ecce iste venit saliens in montibus. Et Psal. 18. 6. exultavit ut gigas ad currendam viam. At cum ab hominibus recedit, dicitur assumptus*